



Prosæ Tomus ...

Conti, Giovanni Battista

Rom, 1704

Prosa V. De Beata Virgine ab Angelo salutata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69458](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69458)

certum, tunc nobis minimè nocituros,
 minimèque formidandos Inferorum a-
 stus, & vires, cum inde nobis spes, at-
 que sospitas, unde illis formido, atque
 clades.

PROSA QUINTA.

De Beata Virgine ab Angelo salutata.

ORATIO.



Inter pias divini Nu-
 minis, aut cælestium
 Heroum memorias,
 quas nobis sua se ver-
 tiginè circumvolvens
 annus quotannis re-
 ducit Auditores orna-
 tissimi, illa cum primis esse videtur so-
 lemnis, qua Nazarenam Virginem ab
 Angelo salutatam recolimus. Una,
 eademque dies hujusmodi sacra myste-
 rio, triplici commendatur miraculo;
 scilicet & Virginis suo Deum excipien-
 tis in utero; & Dei humanam in ute-
 ro Virgineo induentis naturam; & na-
 turæ demum humanæ ad intimam
 cum

Prosa Quinta. 45

os,
n a
at
que
a.
Ju-
um
as,
er-
ens
re-
na-
fo-
ab
a,
te-
lo;
en-
te-
na-
am

cum Deo cognationem eveſtæ. Tam multiplex veneramur miraculum veluti coarctatum in uno. Verùm cum ipſe tam multa, & ſingula quidem maxima ſingulatiſſimè exponere pro dignitate non valeam, ad inclitam divinæ Proliſ Parentem quidquid ſermonis erit mei, deſtinatum in præſentia volo, ac nuncio inſiſtens angelico breviter conſiciam, quàm illa ſublimis evaſerit ſui ipſius, Deique ſui admiranda, adorandaque demiffione.

Licèt ampliffimæ Chriſti Servatoris Genitrici cum reliquo Divorum omnium cætu in eo conveniat, quòd tam illa, quam illi per voluntariam ſui deſpicientiam apicem eximiæ ſanctitatis attigerint; in iis tamen, quæ ad Deum ſpectant, magno inter ſe discrimine ſcernuntur: etenim Moylem, Joſue, Eliam, Davidem, ac cæteros, qui veteri ſacrorum voluminum hiſtoria celebrantur, quibus addite, ſi libet, quos Eccleſiaſtici annales, faſtisque lu- culenter ſuppeditant; penè ad unum omnes omnipotens rerum Author illuſtravit per quamdam divinitatis ſuæ pompam, omnipotentia prodigiis cla-
re-

rescente. Memineritis Moyſis portenta coram Pharaone, Joſue frequentes in præliis multis victorias, Eliæ terrores, minaqueſue efficaces, elementis totis, totoque cælo armatas, Davidis cum urſo, & leone, & Philiftæo Gigante feliciffimè audaces conflictus: alios divorum complures memineritis, eorumque & vitam, & mores, & res mirabiliter geſtas. Hos inter Divos ſuam dumtaxat Genitricem profundiffima ſui ipſius dejectione descendens erexit Deus ad gloriæ verticem immortalis tunc enim illam maximè inſignivit, cum ejus in alvum venit noſtræ mortalitatis ægritudinem ſuſcepturus.

Ad magnâ excelsitatis fabricam conſtruendam oportet nos (ut appoſitè loquitur Auguſt.) antea cogitare de fundamento humiliatis jam autem quem admodum ex præjectis fundamentis moris eſt nobis metiri animo futuræ molis altitudinem, adeo ut ſi minima fuerint fundamina, minimam quoque domicilii ſtructuram, ſi maxima, domicilium maximum ſuperimponendum putemus: ita planè cum ſummam fecundæ Virginis dignitatem ſuſpice-

re

re statim mentium nostrarum obtutu
vix nobis liceat, ipsa prius rimari fun-
damenta consultius fuerit, quæ tantæ
dignitati substructa jacent. Alterum
itaque fundamentum, quo divinæ Pa-
rentis altitudo subnititur, est ejus ob-
sequiosa erga Deum humilitas; alte-
ram est humilitas divinitatis. Profectò
suam cælitum Reginæ submissionem
pro fundamento fuisse ad supræmæ per-
fectionis magnitudinem statuendâ du-
biû esse nemini poterit, & pariter funda-
mentum ille præbuisse divini submis-
sionem Infantis, inficiabitur prorsus
nemo. Hinc illud factum colligimus,
ut quantum æterna imago, æternum-
que Dei Verbum Deus filius descen-
dit, dum sese humano generi per admi-
rabile assumptæ carnis commercium so-
ciavit, tantumdem humilis ascenderit
mulier, dum in Dei Matrem evasit.

Sed duplex hoc fundamentum acu-
tiore indagine perscrutantes jam inde à
prima origine contemplemur. Cum
primùm dies advenit, qua humanam
tibi formam indueret amantissimus
hominum Deus, nobilissima ad Vir-
ginem legatione functus est Gabriel,

ut

ut ad ejus Nuncii, quod afferebatur, nobilitatem, nobilitas insuper nunciantis accederet. Haud ille cæli caduceator dedignatus est Nazareæ domus angustias, quibus tum continebatur Virgo suis Deum visceribus acceptura. Quid memorem vobis qualiter ad honorificam salutationem, ad inopinatam Nuncium, ad vultus angelici speciem constans, atque tenax propositi Virgo pertimuerit, quæ vel fortissimo illo amittendæ virginitatis timore, probavit se dignam illius puerperio decorari, qui solus dum paritur, non florenti Virginitatis Virgini parienti detrahit, sed fructum fecunditatis adjungit? Hæc videlicet omnia libens, ac non imprudens prætereo, quandoquidem festinata oratio ad magnanimam illam demissionem, per quam deprimendo se se erecta protinus Virgo est in divinæ Matris fastigium. Postea igitur quam in repositis ædiculæ suæ penetralibus, ubi delitescere gaudet semper quæ uni sibi, Deoque suo theatrum est Virgine cordis, & oris modestia; arcanum cælestis negotium ex cælesti Cive cognovit cælestis Virgo, sui tandem animi sensum

ex.

ur, un- du- nus utur ara. ho ina spe ofiti imo pro eco rent hit. Hec pru- inat mil- se Ma- m in , ub ai si gine cæll e cæ- sum- &-

expofuit, fe illius ancillam testata, cujus compellanda mater mox erat. O præstantiffimæ demiffionis Puellam, dignam fanè, quam fuæ Genitricis titulo dignaretur Deus; & dignatus omninò eft Auditores, fiquidem ejus in utero fe contraxiffe fub forma fervi illo temporis veftigio perhibetur, quo Virgo ipfa obfequentiffimis verbis erga Deum coram Deo fuum eft famulatum profefla. Divinitas geftiens ad infima fe demittere, ad Virginem descendentem descendit: certare voluit cum ftrenua futuræ Parentis humilitate; fed vinci ab ea noluit: ea quippe fe famulam exhibuit Deo, Deus fuæ fe famulæ filium conftituit. Vincens tamen divinitatis fubmiffio victæ fubmiffioni Virginis præmium summum detulit, æternumque trophæum: quin etiam Virginis fubmiffioni devictæ corona fuit ipfamet divinæ fubmiffionis victoria, cum Divinus filius eò supremam reddiderit Virginem, quòd ipfamet Virgine velut inferiorem fe reddidit, fe ipfum illi tanquam Parenti filium fubmittendo. Nec verò Sanctiffimæ Parentis deterrere honorem eft credendus quilquis

C

illam

illam superatam ab eo, quem genuit, in hoc descendendi certamine fateatur; quoniam Altissimo altior esse cum possit nullus; nullus itidem potest profundius descendere quàm Altissimus.

Hoc denique loco prospectus nobis ad alterum fundamentum recluditur, quo stat superstructum Deiparæ Virginis ornamentum. Illud nempe fundamentum est Superni Regis, qui se exinanivit humilitas. Cujusmodi sit id fundamentum, opportuna notione assequemur, si nostri Conditoris naturam, quoad mentis nostræ caliginem, possumus, cogitemus. Is, inquam, conditor noster, quo nihil superius est, cui nihil est suppar, adeo se deicere voluit, ut non modò humanis calamitatibus obnoxius fieret, sed etiam illis se se ærumnis, illisque doloribus discruciantum traderet, quorum numero, & magnitudine vir dolorum pro cunctis hominibus esset, ac præ cunctis hominibus censeretur. Animadvertite, quæso, quid apud suum Vatem de se ipse prænunciet: ait, se non hominem, sed vermem esse, & inter homines quoddam hominum opprobrium, quam-

quamdam abjectionem plebis. Si talem sibi humanæ conditionis gradum, vel ordinem ascivisset, ut instar potentissimi, & florentissimi Principis nasceretur, circumfluens Parentum divitiis, vallatus Optimatum obsequiis, eligens pro natali solo Urbem omnium celeberrimam, nec non atria, & aulas, & arduis nubibus arces, turreaque finitimas, adhuc ab excelsis in ima dicendus erat devenisse excelsissimus: quid porrò dicendum, cum jam noverimus, omnibus illum neglectis, quæ in orbe terrarum prima ducuntur, ea præoptasse sibi, ea præhabuisse, quæ nullo numero ad calculum humanæ opinionis habentur? Supervacuum fuerit ire per singula; vos divinæ seriem vitæ cursim relegentes omnia vestris reputate animis Auditores, & rem initio propositam hac mecum ratione conficite. Siccine ille descendit, quem tu Virgo felicissima in filium suscepisti? Siccine descendis & ipsa, illi te in ancillam exhibendo, dum te ille in Genitricem deposcit? Qualis enim verò tu, & quanta sublimitas est, quæ fundamentis tantis imponitur!

Quòd si ad extremum iuvat mentis
 aciem à fundamentis in culmen vel
 tantisper attollere. Videte: hæc est
 mulier ptimæve labis experts, & pura:
 Hæc cælestibus donis affatim dives:
 Hæc est quæ animo simul, & corpore
 ante generalem corporum extincto-
 rum ad vitam reditum ex torrente vo-
 luptatis æternæ beatitudinem totam
 jam haurit. Quid plura? Paucis omnia
 ut concludam; hæc illa est, ex qua
 corpoream duxit originem cæli, terræ-
 que, rerumque universarum origo,
 corporatus Deus.

PROSA SEXTA.

De Divo Joanne Evangelista.

ORATIO.



Et si præclarus Apосто-
 lus, & Evangelicæ
 Historiæ Scriptor Jo-
 annes mirificum un-
 decumque de se ipso
 spectaculum in ejus
 vitam, & sanctissi-
 mos mores nobis intuentibus exhibet;
 cer-